

G H W

1 6 2 4





Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia  
sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Disciplinae:  
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
eodem respectu sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
sua à omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserantur, et saltem  
ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K<sup>o</sup> F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~



DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
NONA

De  
ACTU  
&  
POTENTIA,

Quam  
Actu Purissimo annuente  
Sub PRÆSIDIO


M. JOHANNIS SCHARFII  
Croppenstad. Saxonis,

In  
Inclyta Wittebergenfium Academia

Publicè defendet

JACOB-ELIAS GILBERTUS  
de Spaignart.

Ad diem 5. Julij, horis matutinis,  
in Auditorio minore.



WITTEBERGÆ

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,  
Academ. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

10



DISSERTATIONUM  
METAPHYSICARUM

MONA

A. C. T. U.

P. O. T. E. N. T. I. A.

Acta Publico

1770

M. J. O. H. A. N. N. I. S. D. O. N. A. R. T. I.

Antiqua

1770

J. A. C. O. B. A. D. G. I. L. B. E. R. T. U. S.

1770

ad hunc

1770

W. T. T. E. R. B. E. R. G. H.

1770

1770






DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ  
NONÆ

DE ACTU ET POTENTIA

CONTINUATIO.

 Onstat, quod *affectiones Entis* sint vel unitæ, vel disjunctæ. De unitate ratione instituti nostri egimus, nunc consequens est, ut rectè progrediamur ad disjunctas, quæ non solitariè, sed cum suis oppositis, & sic disjunctè prædicantur de Ente, cumq; eo divisim convertuntur, ut in sexta disputatione hujus collegii supra docuimus. Attendendum vero, quod affectiones Entis disjunctæ sint vel *immediata* vel *mediata*. Illæ dicuntur, quæ proximè ex Ente sine ullo alio attributo fluunt, & sic in ipso immediatè fundantur. Et talia *attributa Entis immediata* numerantur novem *paria*. 1. Actus & Potentia. 2. Principium & Principiatum. 3. Causa & Causatum. 4. Necessarium & Contingens: Quæ communiter ab omnibus Metaphysicis solent ita recenseri, & ordine tali proponi: Hisce vero *recentiores*, iiq; accuratiores addunt & alia, utpote ab Excellentiss. Philosopho Theol. Dn. Jac. Mart. in prælect. Metaphysicis subjunguntur. 5. Incorruptibile & Corruptibile. 6. Infinitum & Finitum. 7. Independens & Dependens. 8. Esse à se & esse ab alio. 9. Increatum & Creatum. De quibus omnibus, & nos tali *methodo* acturi sumus, adeoq; in præsentis disputatione disquirendum venit de Actu & Potentiâ.

THESIS I.

Inter affectiones Entis disjunctas *primum locum sibi vendicat doctrina de Actu & Potentiâ*. Hoc enim complexum attributum Entis *reliquis ordine doctrinae prius esse videtur*:



eum subsequenter sine hoc nequeant intelligi; hoc autem sine illis quodammodo potest percipi & explicari.

73  
II. *Primo* autem certum esse debet, quod *Actus & Potentia sint affectio Entis*. Etenim rectè dico: Omne Ens est vel Actus vel Potentia: & quidem per se illa prædicata conveniunt Enti, ita ut necessariò Entitatem disjuncto illo modo concomitentur, denominentq; . Monent autem hîc auctores, quod *divisio ista Entis applicetur entibus particularibus tribus modis*. 1. ut *Actus & Potentia dicantur de entibus essentialiter divisis diversisq; , quorum unum est Ens actu , alterum vero potentiâ*. E. g. in æstate dico, *Rosa* est Ens actu. *Nix* est ens in potentiâ. Item, studiosus est actu doctus. Infans est *divinus* doctus. 2. ut *Actus & potentia dicantur de statibus diversis unius Entis*, hoc est, de uno eodemq; Ente sub diversis statibus sumto: Sic dico: *Rosa* est ens actu, nempe in æstate, & eadem *rosa* est ens in potentiâ, nempe si sumatur in hyeme. Sic *Petrus*, ut puer, est Logicus in potentiâ. Sed *Petrus*, ut juvenis, est actu Logicus. 3. ut *Actus & potentia tribuantur diversis respectibus unius ejusdemq; entis*. Quando enim unum Ens, quod actu reverâ est, saltem per mentis conceptionem considero, vel quatenus est extra causas, ita dico, Ens illud est actu: vel quatenus aliquando fuit in causis, itemq; aliquando non fuit, & ita de eodem Ente sub tali respectu dico: Ens est in potentiâ. *Quæ tamen attributio putatur esse impropria*, Zabarell. lib. 1. de primâ mat. c. 9. altera etiam non censetur hujus loci: *prima ergò Actus & potentia applicatio in Metaphysicis adsumitur*. Illa namq; latitudinem entis exhaurit, ut ex omnibus entibus quedam sint potentiâ, quedam actu. Et hoc sensu Aristoteles lib. 3. phys. cap. 1. illam divisionem proponit. Vide plura apud Dn. Jac. Mart. Exerc. Metaphys. 3. theor. 6. & imprimis apud Armand. de Bello visu Expl. Term. tract. 1. cap. 5.

III. Nobis hac in re liceat (salvo aliorum judicio) ita discurrere.



currere. *Natura entis ut sic se habet indifferenter ad actum & potentiam, vel ad esse actu, & esse divinum.* At quando quasi descendendo, vel expressius concipio entitatem, tunc deprehendo, quoddam ens essentialiter esse actum, ita, ut intrinsicè in suo conceptu propriæ Entitatis involvat existentiam, adeoq; suâ naturâ est actus, & nullo modo potest esse divinum: item, in eadem entium evolutione perspicio, quoddam Ens non ita essentialiter implicare actualitatem essendi, sed potius essentialiter esse Ens potentiale, ita ut intrinsicè suâ naturâ importet potentiam ad esse & non esse. Ergo illud Ens intrinsicè & per se est potentia. Existentia verò ipsi accidentaliter convenit, ut supra disput. 2. ex Suarez monuimus. Et hinc esse censeo, quod *Actus & potentia sint disjunctæ Entis affectiones.* Sic enim quoddam Ens per se erit Actus & Actu, ut DEUS: quoddam verò per se erit divinum & divinum: ut creatura omnis.

IV. Neq; verò priorem & communem attributionem actus & potentiæ in diversa & essentialiter divisa Entia simpliciter repudio, sed illam vel *περί τας applico ad Ens summe actuale, & ad id, quod essentialiter potentiale est, vel si remotius fiat, ad quævis Entia distincta, quorum unum est actu, alterum divinum, illam radicaliter derivo ex illa conditione Entis diversâ, quâ unum omnem respuit potentialitatem, & sic simpliciter actus est, reliqua infra & extra illud conjunctam habent potentialitatem, & sic per se sunt potentialia. Quæ potentialitas porrò facit, ut modo sint actu, modo sint aut dicantur esse divinum.*

V. *Cæterum doctrina de Actu & potentiâ explicatur vel conjunctim & simul, vel seorsim.* Illo modo sumitur totum hoc complexum, quo dicitur, Ens est vel actus vel potentia. Et sic attenditur, quomodo simul habeant aliquam communem rationem, vel ad Ens, vel quomodo inter se conferantur.

VI. *Ratio communis Actus & potentiæ ad Ens consistit in his*



I. *Intrinsicè & essentialiter implicant ipsam entitatem*, quemadmodum & omnes affectiones Entis reliquæ. Unde 2. *nihil positivi superaddunt Enti*: neq; actus aliquid addit Enti; neq; id, quod dicitur actus: sed internam essentiæ constitutionem dicunt. Hinc 3. *utrumq; prædicandi modum admittunt*, nempe & *denominativum*, quo dicimus: Ens est actu, ens est *δωνάμεν*, & *Univocum*, Ens est actus, ens est *δωνάμεν*. Quod in realiter superadditis non procedit. Dico quidem, homo est eruditus, sed non possum dicere, homo est eruditio. 4. *Exhauriunt simul & conjunctim totalem Entis latitudinem*, ita ut nullum sit Ens, quod non sit vel actu vel potentiâ: adeoq; etiam reciprocantur cum Ente disjunctim, ita, ut rectè dicam, Quod non est vel actu vel potentiâ, id neq; Ens est. Interim non est existimandum, ac si nihil aliud dicant, quam ipsam Entitatem, adeoq; sint nudum Ens: non ita; sed *entitas illa & positivitas actus & potentia materiale est ipsorum attributorum*, non secus ac in reliquis affectionibus Entis: Habent ergo insuper 5. *formale proprium sive formalitatem aliquam peculiarem, quâ ab ente distinguuntur ratione ratiocinatâ*. Quæ formalitas sive (ut Scotistæ loquuntur) realitas, non quidem est Ens novum, vel quid realiter distinctum ab Ente, est tamen aliquid rationis ratiocinatæ, vel ratio quædam conceptibilis extra operationem mentis. Nempe 6. *dicunt habitudinem quandam rationabilem, eamq; enti superaddunt*, & illâ per se entitatem denominant vel actu vel potentiâ. Sic *actus denominat Ens prout est extra causas*. *Potentia vero denominat ens, prout adhuc est in causis*, quæ accuratius constabunt è dicendis singulatim.

VII. Inter se quando conferuntur, observanda venit *oppositio & distinctio*. Illa non est *relativa*: quippe actus & potentia non se mutuò ponunt, sed potius tollunt: nec est *contradictoria*, quia involvit entitatem tam potentiâ, quam actus, neq; propriè est *Contraria*, sed est aliquo modo *privativa*.



*tiva*, vide Exerc. Metaph. 3. lib. 1. theor. 6. *Distinctio est realis*: quippe actus & potentia habent se ut *oppositæ realitates*: itemque ut terminus à quo & ad quem: uti ibidem docet Dn. Jacob. Mart.

IIIX. Verum ut *singulatim sive seorsim*, & in specie agamus de istis affectionibus Entis, prius properemus ad explanationem & disensionem actus.

IX. *Actus est affectio Entis, qua denominatur Ens, quatenus revera existit extra causas*, quando quidem non amplius habet causam, à quâ futurum sit. Sic Deus est actus sive Ens actu. Sic rosa ætate est ens actu.

X. Ubi apprimè observandum venit, quod *aliud sit Actus, sive esse actum*: itemque *aliud sit actu esse*. Actu est omne illud, quod habet actum, quicumque etiam ille sit. Unde in specie dici solet. *Ens actu est, quod est extra causas*, vel quod non latitat amplius intra causas, à quibus esse suum quasi expectet, quod nondum habet. Sic pullus enatus ex ovo est ens actu. Sic pluvia, illo tempore, quo pluit, est Ens actu. Notant verò hic autores, quod quando dico, *Ens actu est, quod est extra causas, illud negativè sit explicandum, si debeat applicari ad Deum, ita ut extra causas esse nihil sit aliud, quàm non latere in causis*. Sic enim dicitur Ens actuale, quia scilicet non est demum possibilis, vel quia non contrahetur in potentiâ alicujus causæ, quæ ei esse aliquid dare debeat aut possit. Similis modus loquendi est, cum *Deus dicitur Ens à se. A se*; inquam, *est negativè*, quia non est, quod Deum producat vel esse faciat. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 14. tit. 9. art. 2.

XI. Sed *Actus est illa ratio, que facit, ut Ens sit actu*: adeoque *actus denominat ens actu, vel facit, ut Ens sit actu et extra causas*. Utroque quidem modo secundum hanc affectionem ens denominatur: prior tamen illa videtur dependere ab hoc posteriore sensu: non secus ac Concretum ab Abstracto



Abstracto suo dependet. *Actu enim esse est, quasi actuale esse: & actus est quasi actualitas.* Quando ergò, quid actus & actualitas sit, itemq; quotuplex sit, dignoveris, facile quid sit actu esse, vel quot modis aliquid dicatur actu esse, agnosces. De actu itaq; operosius nunc agemus.

XII. Ut *Actus quiditas* magis magisq; innotescat, tum *ejus Nomenclationem* expendemus, tum *ejus internam quiditatem, formalemq; rationem* perspiciemus.

XIII. De voce *Actus*, notat Zabarella lib. 2. de mat. prim. cap. 2. quod vox illa primùm *imposita* sit ad *adsignificandam operationem*, & postea traducta ad *significandam formam*. Item, sicut potentia primùm imposita est ad *significandam potentiam passivam*: ita & *Actus* vox primò imposita est ad *significandum id, quod completur potentiâ activâ, nempe ad operationem*. Cujus vestigium est *in ipso sono hujus vocis ex conjugatis vocabulis, agere, Actionis, Activi &c.* Idem Armandus Expl. Term. tract. 2. cap. 6. educit ex Arist. 9. Metaphys. Quia, inquit, *rebus nomina imponimus, quod eas cognoscimus*: & ideò voces sunt signa conceptuum, ut dicitur 1. peri herù. Cum inter omnes *motus sit notior*, & magis sensu perceptibilis; ideo *motui fuit nomen actus impositum, primò, ut motus diceretur actus*. Quapropter 3. phys. *motus definitur per actum*: Quia verò non-entia non percipiuntur sensibus; ideò *non-entibus nullo modo tribuitur motus*: licet eis alia attribuantur. Dicimus enim non-entia esse intelligibilia, & actu intelliguntur. Ut rosa in hyeme actu non existens; sed non dicimus ea esse mobilia, aut actu mota, vel quod actu moveantur. Quapropter *cum nomen actus impositum sit ad ipsum, primò signandum, quia est nobis magis cognoscibilis ratione sue Entitatis, quam sensu percipimus; idcirco tractum est nomen Actus ad signandum illud, quod habet transcendentem actualitatem aut Entitatem creatam.*

XIV. Po-



XIV. Postea traductum est nomen *Actus* ad denotandum id, quod completur potentia passiva. Sic & forma dicitur actus, nempe est perfectio materiæ, quæ ad formam habet potentiam passivam, item *passio* est actus potentia activæ quemadmodum actio activæ. Adhæc quia actus dicitur complementum potentia, seu perfectior potentia, eamq; perficere. Indè porro sumptum est vocabulum *Actus* per ἀναλογία, pro significatione perfectionis absolutæ: quomodo & Deus dicitur actus, non quasi actuet aliquam potentiam, sed absolute est actus. Ex his deniq; emerfit significatio actus, qua id dicitur actus rei, quod det esse alii. Sic etiam forma est actus compositi: item *forma accidentales* dicuntur actus subjecti: unde & æquipollenter sumitur actus pro essentiâ.

XV. Hæc ita pro faciliore intellectione *Actus* de Impositione vocis istius monent autores. Ex quibus nos observandum putamus: quod vox *actus* sumatur vel absolute; vel respectivè. *Absolute sumtus*, significat simpliciter perfectionem rei prout caret potentialitate. Et sic ejus significatio ponitur in negatione, quomodo *Deus dicitur actus*, non positivè, imprimis: tanquam aliquid actuans, sed negativè, quia caret omnipotentiâ: unde & cum adjectione dici solet *actus purissimus*. *Respectivè sumtus* actus importat relationem 1. ad potentiam, quomodo & actus correspondet potentia vel activæ vel passivæ. 2. ad esse, quomodo actus vocatur, qui dat esse vel substantiale vel accidentale, quanquam hæc significatio ad priorem revocari possit. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 14.

XVI. Nunc perspectis istis ambiguitatibus *Actus* facile erit ipsius quiditatem & definitivam rationem ostendere. Apparet enim, quod *actus* duplici ferè modo describi possit. Prout *absolute* sumitur per negationem potentia, declaratur ita: *Actus est Ens, quod caret potentia*: Etenim absolute loquendo actus nomine venit omne id, quod revera est & existit.

B

stit.



stit. Et sic actui competit definitio actus supra thesi 9. tradita. Prout vero *actus respectivè sumitur*, in respectu ad potentiam debet definiri: *ubi actus est, qui dirigitur ad potentiam, eamq; complet & perficit*: Et sic omne id dicitur actus, *quod se habet ad aliud, tanquam perfectio, finis & complementum*. Qui actus ita sumptus correspondenter ad potentiam *alius* est, qui *actuatur potentiam activam*: ut actio, contemplatio, ambulatio: *alius*, qui *actuatur potentiam passivam*, ut eruditio, virtus, forma quævis: quemadmodum e divisionibus actus innotescet uberius.

XVII. Non verò iste actus semper uno eodemq; modo se habet, sed variè distinguitur, varièq; dividitur. Primò *Actus est vel essentia vel subsistentia*. Vulgo solent actum dividere in actum essentia & *existentia*: ubi *existentia* non propriè accipitur pro actuali essentia sed pro subsistentia. Sic enim illa communis divisio tantum procedit. Sed nos malumus propriè loqui, adeoq; actum illum, quem vulgo vocant *Existentia*, nos vocamus *subsistentia*. Ita scilicet omnis abusiva termini acceptio evitatur. Certum enim est, quod propriè loquendo *Existentia* non sit peculiaris Entis modus distinctus ab actu, sed ipsum entis actualis actum dicat.

XIIX. *Actus essentia est, qui rem ita actuatur, ut ejus essentia constet, qua definitione representatur*. Sic actum essentia considero in rosa, quando ejus quiditatem scrutor sine ullâ consideratione *existentia*.

XIX. *Actus subsistentia est, quo non tantum aliquid quiditative esse dicitur, sed etiam in certâ & propria materia existere sumitur, hoc est, est ipse modus subsistendi*. Sic humanitas prout est in supposito individuo vel humanitas personata habet actum *subsistentia* &c.

XX. Interim hic cautè observandum, i. quod *actus essentia & subsistentia non differant realiter, sed modaliter*. I. *Subsistentia illa est ultimum existentia complementum, quod in irrationa-*



tionalibus & brutis dicitur *Suppositum*, in rationalibus verò dicitur *persona* five personalitas. 2. quod *Subsistentia non plane sit inseparabilis ab actu essentiae*. Scilicet fieri potest, ut aliquod Ens existat *in alieno supposito*, uti videmus non rarò fieri in imperfectioribus naturis & juxta naturæ cursum. Sic *salpermixtus aqua subsistit in supposito aquæ. Ignis in supposito ferri candentis*. Verum tamen & hoc cautè observes, quod in *perfectioribus naturis subsistentia sine singulari ope divina & sine miraculo ab existentia separari non possit*. Sic credimus fide catholica, quod *humana Christi natura subsistat supernaturaliter in persona secunda Divinitatis*, nempe in λόγῳ, ita ut Deus & homo constituent unam personam.

XXI. Deinde *Actus est purus vel Impurus*. Hic est *complicatus* cum aliqua *potentialitate*, ut in angelis, vel cum *materia*, ut in corporibus. *Purus* verò est, qui est solutus & absolutus ab omni *potentiâ passivâ* vel *potentialitate*. Sic *Deus ἀπλῶς est actus purus*. Suo modo nempe κατὰ τὴν etiam *angeli* dicuntur *puri actus*, non quod aliquid actuent, sed quod *actus perfecti sint in se*, adeò ut in formali suâ perfectione à nullo alio dependeant, neq; ad alterius perfectionem ordinentur.

XXII. Aliàs *actus purus* dicitur, qui absolutus est à *respectu ad materiam*. *Impurus* verò, qui est ad aliquid perficiendum ordinatus. Quomodo *anima rationalis est actus impurus*, licet sit *actu separata à corpore*, adeoq; extra materiam existat. Quandoquidem tamen & *post illam solutionem retinet relationem ad corpus suum organicum*: & ad alterius nempe *hominis perfectionem formalem* ordinatur.

XXIII. Tertio *Actus* est vel *primus* vel *secundus*. *Primus est*, qui ad *perfectionem primam, hoc est, ad ipsum esse rei, ordinatur*, uti est omnis forma five sit *essentialis* five *accidentalis*. *Actus verò secundus est*, qui ad *perfectionem secundam, hoc est, ad operationem* ordinatur. Et sic omnis operatio, omnis actio à forma proveniens est *actus secundus*. Græcis *actus*



primus dicitur ἐπιπέχεια, uti est ἐπισημη: secundus vero ἐπέγεια  
ut ἡωρεῖν. Dicitur autem primus actus, quia est principium  
& causa secundi: secundus vero, quia à primo pendet.

XXIV. Quartò Actus est vel perfectus vel Imperfectus.  
Ille est, qui competit omnibus entibus completis & perfectis:  
ut est homo, leo, equus, cœlum &c: Imperfectus actus est is,  
qui in potentiâ ad formam consequendam existit. Sic motus  
est actus imperfectus respectu rei mobilis, in quem inducit  
aliquam perfectionem. Imperfectus autem dicitur propter  
communicationem ejus cum potentiâ, quia est in potentia ad  
formam acquirendam, ut docet Avenr. ad tex. 15. l. 3. phys.  
Unde & 1. de An. ad t. 13. ait, esse motus, est esse transmutabile,  
& compositum ex esse in potentia & esse in actu. Quo sen-  
su anima nequit dici imperfectus actus, quia de se est in esse  
perfecto, & alteri elargitur esse perfectum.

XXV. Alii actum Imperfectum dicunt illum, quo ðντὰ im-  
pleta extra nihil constituta intelliguntur, qui & actus Entitati-  
vus appellatur. Et sic materia & forma habent actum par-  
tialem, ita ut ex duobus actibus partialibus entitativis fiat  
unus perfectus. Sed hoc sensu potius iste actus dicendus esset  
Incompletus quàm Imperfectus.

XXVI. Quinto notabilis est, & illa distinctio Actus,  
qua dicitur vel Signatus vel Exercitus. Actus Signatus vo-  
catur, quatenus à singularibus abstractus ita sumitur. Exer-  
citus vero est actus, prout in singularibus multiplicatus est,  
adeoq; in concreto consideratur. Hinc ajunt, quod Res in  
Actu Signato consideretur, quando concipitur sic, prout commu-  
ni definitione signatur, & sub proprio signo, hoc est, nomine  
(nomina enim sunt signa conceptuum) apprehenditur. Sic  
in Logicis considero Genus, Speciem, Enunciationem, Syl-  
logismum &c. in actu signato: quia scilicet Logica com-  
muniter signat & definit quid sit genus, species &c. Sic in  
Ethicis in actu signato consideratur virtus, Temperantia,  
ubi ni-



ubi nimirum illa inquirat in veram definitionem divisionemq; Virtutis & Temperantiae &c. Verum in actu Exercitio dicitur res considerari, quando concipitur non in communi, sed particulari; demisso communi nomine. Sic in aliis disciplinis realibus adsumitur Genus, Species, Enunciatio, Syllogismus: non ac si doceant, quid sit genus &c. sed saltem prout est in hac vel materia, quae dicitur Genus vel species, item quatenus ex certis rebus fiunt Enunciationes &c. Confer Dn. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 13. tit. 4. art. 5.

XXVII. Fuit prius membrum praesentis divisionis, nempe Actus: nunc sequitur alterum, quod est *Potentia*. Circa cuius evolutionem itidem observandum est, quod aliud sit esse potentiam, & aliud esse potentiam sive *δυνάμει*. Ens in potentia est, quod nondum verè est, sed potest esse. Sic rosa in hyeme est; Ens potestate sive *δυνάμει*.

XXIX. Rectè hic notat Scheiblerus, quod 1. *Esse in potentia possit etiam esse attributum Entis actualis, scilicet secundum quod intelligatur ei deesse aliquid, quod habere potest.* Sic puer est in potentia ad esse doctrinae, id est, ut fiat doctus: item *paries est in potentia ad albedinem accipiendam.* Hoc modo res aliqua est in potentia ad agendum & patiendum. 2. *Esse in potentia est denominatio praecisa entis ejus, quod nondum existit.* Sic ipsa doctrina, in non habente doctrinam, dicitur esse in potentia: Sic ipsa albedo dicitur Ens potentiale, prout nondum est in subjecto, in quo esse potest. Sic homo post aliquot annos demum concipiendus, dicitur esse in potentia ad suum esse. Et de hoc modo loquendi nunc loquimur de Ente in potentia, prout *Ens potentiale sive possibile, distinguitur Enti actuali.* Prior verò sensus *est esse in potentia hic non adeò curatur, quippe Ens in potentia ratione subjecti sive per denominationem ad subjectum, etiam Ens actuale est, ut puer est Ens actuale etiam tunc, quando sumitur in potentia ad eruditionem.*

*Esse in potentia sive  
δυνάμει*

1.

2.

*Et sic*



sumit  
J. Negative  
Denotatōem extrinsecam.

XXIX. Potest nihilominus esse in potentia secundum propriam & posteriorem acceptionem bifariam intelligi, vel negative, ut esse in potentia dicatur, quod non est actu, sive quod non existit: vel per denominationem à causa, quomodo in potentia esse dicitur id, quod adhuc latet in causis, sive lateat in potentia efficientis, sive in materia. E.g. Homo adhuc gignendus dicitur esse in potentia, quando datur causa efficiens, quæ sufficiens est ad impertiendum homini suum esse actuale: Item, quando materia, quæ nunc hanc vel illam formam habet, apta est, ut accipiat formam istius hominis qui dicitur possibilis.

XXX. Sic ergò Ens in potentia erit, quod adhuc latitat intra causas, ex quibus produci potest: aliàs dicitur Ens potentiale, item Ens possibile. Potentiale quidem dicitur, in quantum significatur carentia actus: Possibile verò dicitur, in quantum significatur aptitudo accipiendi actum.

NB. 2

XXXI. Sed quia Ens in potentia variat ad rationem potentie, nunc quid & quotuplex potentia sit dispiciemus. Et primò vox Potentia evolvenda venit. Ista enim nunc distinguitur à potestate, nunc ipsi æquipollet. Æquipollenter potentia sumitur cum potestate in dictis, ubi idem erat, Ens potestate, & Ens potentia.

D.

XXXII. Quando verò potentia distinguitur à potestate, tum vox Potentia significat precisè ipsam vim & virtutem agendi vel patiendi: Potestas verò significat jus vel jurisdictionem & auctoritatem in agendo. Atq; hæc non semper coincidunt. E.g. Homo quivis, cum ab alio hostiliter invaditur, habet potestatem sive jus se defendendi; sed sæpè ob imbecillitatem suam vel hostium copiam non habet potentiam se defendendi. Quod ipsum & Græci distinctè notant, distinctis voculis δυναμεις & ἐξουσίας. Δυναμεις significat potentiam ἰσχύος ἢ δυνάμειος, à posse. ἐξουσία verò notat licentiam sive potestatem, à verbo ἐξουσι licet.

XXXIII.





XXXIII. Observandum etiam est, quod hoc loco non intelligamus *potentiam predicamentalem*, quæ est qualitas, certa, sed *Transcendentalem*, quæ universalissimè sumitur, & est Entis attributum. Hanc ergò ita describimus. *Potentia est affectio Entis, quâ aliquid esse posse intelligitur, quando nondum est*: vel *potentia est Ens, quatenus id potest actuari per aliquem actum*. Confer Scheiblerum lib. 1. Metaphys. cap. 14.

Potentia e.  
Pdic.  
Transc.

Potentia qd.

XXXIV. Est verò Potentia Transcendentalis vel activa vel passiva. *Potentia activa est vis agendi in aliud, in quantum est aliud*. Quemadmodum enim potens dicitur is, qui potest facere, quod vult sine aliis & sine impedimento: Sic potentia activa est illa ratio, sive ista vis secundum quam potest agere quod vult. Quia verò *nihil agit in seipsum, hoc est, nullum Ens agit in seipsum, sed semper in aliud*; ideirco potentia activa dicitur, quod sit vis agendi in aliud. E. g. Ignis habet potentiam activam sive vim agendi in aquam, calefaciendo scilicet illam. Sic Deus potens est agere quod vult. Sic Sol agit in hæc inferiora illuminando aërem, calefaciendo &c.

pote. e.  
s. Activa.

XXXV. Porrò *Potentia activa est vel infinita vel finita, illa est Entis infiniti, & dicitur omnipotentia*. Sic solus Deus est infinite potens.

XXXVI. *Infinita illa Dei potentia certo modo distinguitur in absolutam & ordinariam*. *Absoluta dicitur, quæ Deus simpliciter omnia potest, nec ullis terminis limitari potest*. Fundatur enim super esse divinum infinitum. *Ordinata Dei Potentia dicitur, quæ ad aliquod attributum divinum determinatur, & super illud fundatur, nempe vel super misericordiam, vel super justitiam, vel bonitatem, vel sapientiam &c. quâ potentiâ, quia Deus agit ordinario modo, multa non facit, quæ tamen aliàs absolute posset*. Confer Exercit. Metaph. Dn. Jacob. Mart. 3. theor. 8.

1. Infinita q  
Absoluta  
Ordinaria

XXXVII.



finita

XXXVII. *Finita potentia* est Entium finitorum, nempe creaturarum, quæ habent quidem aliquam vim agendi. Sed quia *illa terminatur in aliquo factibili*, neq; omnia agere possunt creaturæ, dicitur illa potentia finita.

Rationalis s. intellectualis

XXXVIII. Est autem illa vel Rationalis, vel Irrationalis. *Rationalis dicitur potentia libera & voluntaria, quæ omnibus ad agendum requisitis positis in agendo est indifferens, ita ut possit agere vel non agere, item hoc vel illo modo agere.* Sic Homo habet potentiam agendi rationalem & liberam. Attende v. quod hic *Rationale non sumatur specialiter pro discursu, sed simpliciter pro omni intellectione cujuscunq; gradus, illa sit*, ita ut potentia Rationalis rectè dicatur potentia intellectualis: quo sensu & *Dei potentia est Rationalis*, itemq; Angelorum. Quomodo autem illa potentia naturalis dividatur in elicentem vel exequentem, videbis in Exercit. Met. Dn. Jac. Mart. d. l.

1. elicent  
2. exequent

Intellectualis  
quæ cum naturali

XXXIX. *Irrationalis potentia dicitur illa, quæ sine ratione & libertate agit.* Estq; ipsa potentia naturalis, quæ determinata est ad unum, ut in Phycis axiomatibus hac de re egimus. Sic corpora naturalia habent potentiam irrationalem.

Passiva

XL. Porro *Potentia Passiva* est aptitudo sive receptibilitas quedam, quæ quippiam pati potest ab altero quatenus est alterum: vel est dispositio Entis, cui non repugnat esse vel fieri, & ita in actum produci potest. Subdividi solet in objectivam & subjectivam.

vel Objectiva  
vel Subjectiva

XLI. *Objectiva potentia est res, prout illa est objectum alicujus potentia productiva.* Sed *Subjectiva potentia est inclinatio quedam rei, quæ ordinata est ad formam, cui subicitur.* Sic materia est potentia Subjectiva ad suam formam. Notandum hic est, quod *Potentia Subjectiva & objectiva conveniant quidem in eo, quando generaliter dicitur, res esse in potentia objectiva, prout in ordine ad agens sumuntur, & esse easdem in potentia subjectiva, prout requirunt Subjectum ex quo fiant.*

conveniant NB.

IIVXX





quo fiant. E. g. Scamnum dicitur fuisse in potentia objectiva respectu artificis sive arularii, quatenus is potuit scamnum producere: idem Scamnum dicitur fuisse in potentia Subjectiva respectu Subjecti, nempe ligni, ex quo factum est: Sed distinguantur & separentur ista potentia IN CREABILIBUS, ubi tantum est potentia Objectiva, non verò Subjectiva. Sic res ante mundum conditum adhuc à Deo creanda objicebantur quasi Deo, non verò aliquid subiciebatur, ex quo fierent, quia ex nihilo facta sunt. Apparet ergò, quod potentia objectiva nihil sit aliud, quam respectus rei possibilis ad suum agens, à quo produci potest. Quæ potius est rationis, quam realis, & ratione tantum concipitur: ut quest. I. dicitur.

*distingua*

XLII. Potentia Subjectiva est realis potentia, qua ab agente mutationem suscipit. Unde ab Aristotele 9. Metaph. definitur, quod sit talis potentia, qua possit ab alio transmutari in quantum est aliud. Estq; vel Naturalis vel Obedientialis.

*subiectiva*  
9.

XLIII. Potentia Naturalis est inclinatio & propensio realis ipsius rei, qua per actum naturalem ab agente naturali actuari potest. Quæ dividitur vel respectu ordinis, quem habet ad actum, vel ratione ipsius actus. Illo modo dicitur vel propinqua vel remota. Hoc posteriori est vel Substantialis vel Accidentalibus, prout scilicet vel actus ejus est Substantia vel accidens.

*Naturalis*

XLIV. Potentia Obedientialis nihil aliud est, quam non sufficiens repugnantia, quo minus efficiens externum in Subjecto, in quod agit contra ejus naturam effectum internum producere possit. Et ita hæc potentia obedientialis admittere potest actum non per naturalem inclinationem, sed saltem per non repugnantiam, unde & negativa dici solet & in specie potentia per non repugnantiam. Sic quodlibet fieri potest ex quolibet ratione efficacis, quæ est in agente. Sic ex ligno fieri potest Scamnum, mensa, tabula. Sic ex lapidibus per Dei potentiam fieri possunt homines, non ac si sit potentia posi-

*obedientialis*

C

tiva



tiva in lapidibus ad homines, sed quia non sufficienter repugnari possunt operationi Dei infinitæ, quo minus is ex illis excitet homines. Confer Exercit. Metaphys. Dn. Jac. Mart. Exerc. 3. theor. 9. Item Scheiblerum lib. 1. Metaphys. c. 14. Tit. 2. Art. 1. Liquet autem inde, quod potentia obediens non sit facultas positiva & realis, sive potentia in Subjecto propriè dicta, sed tantum per proportionem & ἀναλογίαν ad potentiam naturalem ita dicatur. Hactenus Theses.

### Usus & Abusus.

**U**sus hujus disputationis non potest esse obscurus. Nihil dicam de absoluto & interno ejus usu in Metaphysicis. Constat enim, quod doctrina hæc de Actu & Potentia Metaphysicus carere non possit. Considerat is Ens abstractum ab actu & Potentia. Quod ut rectè intelligatur, commodat hæc præsens disputatio. Nihil dicam de reliquis utilitatibus, quæ circa Theoriam causarum, circa Theoriam Entis infiniti, necessarii aut contingentis & c. ex hac ipsa disputatione resultant in Metaphysicas contemplationes. Nihil etiam dicam de usu respectivo præsentium terminorum explicatorum, quem obtinent in dextra perceptione variarum rerum philosophicarum. In *Physicis* sanè quomodo feliciter procedes, nisi doctrinam hanc actus & potentiæ distinctè prænoveris. Neq; enim quid forma sit, quid materia, quid motus, quid anima & c. benè intelligere poteris, nisi prius ex hac præsentis disputatione distinctè didiceris, quid & quotuplex sit actus, item quid & quotuplex Potentia. Saltem hac vice breviter ea, quæ usum Theologicum concernunt, attingo. Commodat in *Theologicis meditationibus*, ubi Deum sæpissimè appellamus Actum, Actum purissimum, ens purè actuale, item potentissimum, ens carens omni potentialitate & c. Commodant insigniter distinctiones Actus & potentia in disputationibus Theo-

In Metaphysicis

In Physicis

In Theologicis



*bus Theologicis* (de philosophicis, cum ibi usus earum sit certissimus & notissimus nunc nihil dicam.) Sanè quantum usum habeat vel illa distinctio unica, quâ *Actus dicitur essentia & Subsistentia*, dici satis commendaliter haut potest. In articulo *de Persona Christi* credimus juxta orthodoxiam fidei, *in una Christi humanitate esse duos actus primos, (ὁμοαδελφῶς) unum essentia, alterum Subsistentia, & personalem*: credimus, quod Christus, *unum saltem habeat actum Subsistentia*, ita ut Deus & homo constituent unam personam Christi: item, quod *Humanitas Christi non habeat proprium actum Subsistentia, sed subsistat in λόγῳ* sive in persona Dei, in quam est adsumta. Quis, quæso, illa benè intelliget, vel constanter credet, nisi ex Metaphysicis distinctè cognoverit, quid *Actus Essendi & Subsistendi* sint, quomodo se habeant, & quomodo distinguantur? Licet enim probationem istorum actuum non desumere possit ex Philosophia, tamen *dextram intellectionem exinde omninò haerere potest & debet*. Debet: cum Theologia per se non explicet, quid sit *actus essendi, aut quid sit actus subsistendi*: neq; ostendit, quomodo hic posterior, nempe *subsistendi actus possit nonnunquam separari a priore actu essendi*, illæsa tamen & salvâ manente essentiâ rei. Potest: cum in omni Ente deprehendat actum quendam *Essendi & Subsistendi*. In omnibus rebus naturalibus *distinguit ratio recta actum Essentia ab actu Subsistentia*. Videt multa attributa rebus *convenire ratione Subsistentia, quæ non ipsius sunt ratione Essentia*: Animadvertit, quod non rarò *Subsistentia separetur ab essentia*; quod non rarò *duo actus essendi constituent unum actum subsistendi*, uti fit in ferro ignito: quodq; ita non rarò *essentia aliunde adsumat alienum actum subsistendi*. Hinc sanè feliciter versari potest Metaphysicus in disputationibus istis de persona Christi, quando ibi audit à Theologo, quod *humana Christi natura sit quidem vera & perfecta essentia, non tamen ex se sit persona*,

*An actus subsistendi ab actu essendi possit distingu?*



verum à λόγῳ habeat actum subsistendi supernaturalem, ita ut cum illo unum quid personale constituat. Hoc enim non esse contradictorium ex accurata horum terminorum notitia didicit in Scholis Metaphysicorum. Potest etiam Metaphysicus, ita à Theologo informatus aliquatenus suspicari de Excellentia istius mysterii, quando scit, quod tale quid in naturis perfectioribus non fieri possit sine miraculo & singulari ope divina. En tantus tamq; insignis usus est illius unius distinctionis Metaphysicæ, in tanto tamq; insigni mysterio! Neq; verò est quod dubites, num liceat ita distinguere in Christi humanitate inter actum essentiae & Subsistentiae. Orthodoxi Theologi omnes id cautè præstant, & quidem ex necessitate adducti. Nisi enim id facias, quæso, hæc dicta vera concilies: *Caro Christi excelsior est angelis, & non est: Item, omnia scit, & multa nescit: adoranda est, & non est: ubiq; dominatur, & non dominatur: sedet ad dextram Patris, & non sedet &c.* Certè nisi priora membra de actu subsistendi, & *σωτηριᾷ* intelligas, posteriora verò de actu essendi, nunquam te expedies. Hoc scilicet est, quod Theologi semper distinguant hac in re inter actum Supernaturalem, qui insequitur Subsistentiam humanitatis Christi: & inter actum naturalem, qui insequitur ipsam essentiam. Sic *Johan. 6. v. 55. Caro Christi dicitur vivifica. Et sanguis ejus emundat nos ab omni peccato:* & tamen vicissim dici potest, carnem Christi non vivificare, non emundare à peccatis. Scilicet illud verum est, ob actum personalem: hoc autem verum erit ob actum naturalem, juxta quem Caro Christi consideratur in se & per se ratione propriæ essentiae, & virium suarum, naturalium respectu. Ita igitur egregiè se habet prima distinctio actus! porro quis nescit, quantum commodat in eodem articulo distinctio actus in primum & secundum? quis nescit, quod nostrates Theologi distinguant inter actum primum & secundum attributorum divinorum humanæ naturæ communicatorum?



rum? quodq; afferant, Christi humane naturæ etiam in statu exi-  
nitionis fuisse communicatam omniscientiam & omnipoten-  
tiam quoad actum primum, licet non exercuerit illa idiomatica  
actu secundo? At verò quid actus primus & secundus sit,  
unicè docet Metaphysica præsentis in sede. Præterea si vel-  
lem progredi ad singula, infinitus usus exoriretur. Respice  
saltem potentie distinctiones, & primo intuitu illam, quæ di-  
viditur in activam & passivam, anne putas ullam insigniter  
commodare? quando mihi constat, quod potentia activa  
sit vis agendi aut transmutandi aliud in quantum est aliud,  
hoc certè commodi adinvenio: quod in Deo ob creationem  
omnium rerum nulla sit ponenda mutatio. Scilicet inde pate-  
scit, quod ex actione, ut actione non fiat mutatio in agente,  
sed tantum in passivo subjecto recipiente, nisi fortè illud  
contingat ex accidente, quod accidens eveniat è conditione  
quadam agentis, quatenus est materiatum. Sic enim in se  
aliquam sentit mutationem, hoc tamen non est ab actio-  
ne, sed à corporea natura, à qua proficiscitur actus. Illa  
quia materialis est & organica, accidit, ut actio ab ipsa pro-  
veniens non tantum terminetur in alio, sed quoq; in se ipsa.  
Sed quia Deus non est materiatus, ideò per nullam actionem,  
sive sit creatio, sive conservatio, sive cooperatio, mutari potest.  
Respice & illam distinctionem, quæ potentie Dei distingui-  
tur in absolutam & ordinariam; mox facilius judicabis de il-  
lis dictis scripturæ, quibus Deus dicitur multa posse, quæ ta-  
men non facit. Sic Matth. 3. dicitur, quod Deus possit (abso-  
lutâ potentiâ) filios Abraham excitare ex lapidibus. Sic &  
Matth. 19. v. 24. Deus dicitur posse efficere, ut Camelus per-  
transeat foramen acus. Sic Deus posset absoluta potentia  
suâ omnes salvare aut condemnare homines, sed ordinaria  
non vult. Sic saltem credentes salvat; sic saltem incredu-  
los damnat. Respice distinctionem illam potentie, quæ di-  
citur naturalis & obedientialis, & infinitam deprehendes uti-  
litatem. Sed ad Abusum.



Abutuntur

1. Schillingii

2. Stoici

3. Photiniani

4. Calviniani

Abutuntur hisce terminis Actus & Potentiæ *Sophistæ heretici, & hodierni Philosophi osiores*, partim malitiosè depravando, partim ex purâ putâ ignorantia calumniando, qualem artificem deprehendimus in scurrarum isto Superintendente Schillingio Concion. Met. 7. Nugantur hi inter alia, quod *Metaphysicus homini adscribat aliquam facultatem & vim ad sui conversionem, ubi dicit, quod in homine sit potentia quadam obedientialis ad conversionem*, sed blaterant, quod non intelligunt. Ignorant isti fanatici, quid potentia obedientialis sit, & tamen ex illa calumniari non desistunt. Discant prius, quod *Potentia Obedientialis non ponat aliquid in Subjecto, sed saltem in agentis virtute, ad quam habet respectum*. Sciant, quod dicatur obedientialis, non ac si sit facultas obediendi mandato superioris agentis, sed *per proportionem & Metaphoram quandam ita dicitur*. Ut enim is, qui obedit alteri, actionemq; & passionem in se obediendo suscipit, non agit per potentiam sive voluntatem & appetitum proprium, sed quicquid producit, quicquid patitur, id alienâ vi & voluntate imperatus producit & patitur: Sic quoq; in proportionem de pot. Obed. se res habet. Quando aliquid producit, à fortiori causa agente in re, quæ nullam omninò ad effectum istum habet inclinationem, vel potentiam naturalem, tunc sine omni sua potentia vel inclinatione id in se producit: Quare fortiori isti actioni quasi obedire cogitur, actionemq; illam in se recipere, & ut tale opus in se fiat, permittere. *Stoici abutuntur in eo, dum omnem potentiam putent naturalem introducendo fatalem necessitatem*: Ubi potius scire debebant, quod non omnis potentia sit naturalis, sed insuper & rationalis detur, quæ est libera, uti ex thesibus innotuit. *Photiniani* variis etiam modis abutuntur terminis actus & potentiæ, uti notum est. Peculiares depravatores hujus disputationis *Calviniani* existunt, qui in articulo de prædestinatione dicunt, *posse Deum absolutâ poten-*



potentiâ omnes homines salvos facere: Sed istud ordinariâ  
potentiâ ob cruentum decretum absolutum ipsi impossibile esse.  
Verum opponunt subordinata, quod etiam in Philosophia  
peccatum est. In simul falsâ descriptione potentie ordinariæ  
in cautiorebus imponunt. In articulo Sacræ Coenæ limites po-  
nunt omnipotentie divine, non attendentes ad illud: Cujus  
promissio extat, illius quoq; potentia credenda est. Quam tur-  
piter in loco de persona Christi commisceant actum primum &  
secundum, adeò notum est, ut haut indigeat recensione. Si-  
militer & error Plinii notus est, qui impotentie accusavit  
Deum, quod non possit mori: Scilicet nescivit distinguere  
inter activam & passivam potentiam; Adde, quod mori posse  
non sit potentia, sed impotentia. Confer Exerc. Met. 3. theor. 8.  
Hoc deniq; adhuc notetur, quàm pueriliter garriant isti  
calumniatores & esores Metaphysice, qui illam distinctio-  
nem potentie divinæ in ordinariam & absolutam allatrant,  
ac si inde duplex ponatur potentia in Deo, itemq; inde De-  
um allegari ad causas secundas. In utroq; enormiter pec-  
cant. Non enim Metaphysici duplicem vel duas in Deo ponunt  
potentias, sed unam tantum simplicissimam agnoscunt, eamq; di-  
stincto modo & respectu considerant. Neq; hoc ajunt Meta-  
physici, quod ordinaria Dei potentia limitetur aut determi-  
netur per externam aliquam creaturam, ut stolidi isti Schil-  
lingiani ex purâ puta ignorantia calumniantur. Optimè  
jam dudum sciverunt, id nihil aliud esse, quam Deum ad  
causas secundas alligare: Sed hoc est, quod ajunt Metaphy-  
fici: Potentiam Dei ordinariam in aliquo attributo divino de-  
terminari & restringi, adeoq; in ipso Deo ponunt istius limita-  
tionem, ita ut non creatura, sed ipse Deus suam potentiam deter-  
minet & ad certum opus pro beneplacito applicet. Quæ ubi  
attenduntur facilè ejusmodi vanos abusus evitare possumus,  
ut & feliciter genuinum usum urgere.

s. Plinij

AXIO-



## AXIOMATA.

1. Actus simpliciter prior est potentia. Scilicet Actus absolute sumtus & universaliter spectatus. Non verò valet axioma de actu particulari quodam, nempe de tali vel tali actu, ita enim potentia prior est actu.
2. Actus est perfectio finis & complementum potentie. Ita patet ex thesibus, ut & ex nomine actus, quod per se infert perfectionem, unde & Græcis vocatur ἐπιτέλεια.
3. Actus primus precedit secundum. Quia hic oritur, & provenit ex illo.
4. Posito Actu primo non continuo potest inferri secundus. Quia primus se habet ut forma; Secundus verò ut operatio formæ. Jam forma esse potest, licet non operetur.
5. Omnis Actus secundus presupponit actum primum. Ita patet, quia iste est quasi effectus hujus: Et Actus secundus semper dependet à primo.
6. Posito actu secundo, necessario infertur primus. E. dicitis. Sic, quia Christus judicare debet omnes homines; omniscientia præditus sit oportet. Judicare est operatio & actus secundus, qui supponit primum, potentiam nempe judicandi: At potentia judicandi nulla est sine notitia rei, de qua ferri debet iudicium. E. qui iudex esse debet in omnibus rebus: omnia præcognoscat oportet. E. quia Christus in censorio illo die iudex constituetur inter homines bonos salvandosq;, & malos sive damnandos, utiq; scientiam omnium rerum humanarum habeat necessum est.
7. Negato actu secundo non semper negandus est actus primus. Scalig. Exerc. 101. sect. 17. Satis hoc è præcedentibus constat. Hinc frustra Calviniani colligunt: Corpus Christi in Sacra Ceena non videtur, non palpatur, E. non adest. Non enim licet argumentari negativè ab Actu secundo ad negationem actus primi. Potest enim Ens esse & adest, ubi eius operatio nativa non percipiatur.



8. *Non omne Ens est actu. Multa namq; nondum existunt, sed esse possunt.*

9. *Potentiam rebus qui detrahit, ipsum esse detrahit. Scilicet, quicquid est, propter aliquod est. E. habebit potentiam aliquam vel ad agendum vel ad patiendum.*

10. *Quantum quidvis habet essentia, tantundem etiam habet potentia: vel talis est rei potentia cujusq; , qualis ejus est essentia. Innotuit hoc ex disputatione sexta, ubi ostensum, quod & quomodo affectio semper insequatur ad conditionem subjecti, ita ut se habeat taliter affectio, qualiter se habet subjectum.*

11. *Contradictoria nullo modo possunt fieri. Ratio est, quia involvunt esse & non esse.*

12. *Impossibilia posse non est posse, sed non posse. Quod ipsum ut intelligas cautè observes, tum quod possibile sit, tum quod sit impossibile, ideoq; notabis ea, quæ hac de re scripsit R. & Exc. Dn. Jacob. Mart. Exerc. Metaph. 3. theor. 8.*

13. *Potentia Obedientialis non ponit aliquam vim vel habilitatem in rebus, sed solam non repugnantiam terminorum importat. Ita patet ex thesibus. Sic dicitur quidem, mundus potuit fieri à Deo: ubi tamen exinde non ponitur vis quædam in rebus fiendis; sed saltem obedientialis potentia, quod idem est, ac si dicas, potentia agens creativa tanta fuit, cui nihil potuit resistere, quo minus iste effectus fuerit sequutus.*

## QUÆSTIONES.

### I.

#### • *An detur Potentia quadam objectiva?*

Propugnatores potentia objectivæ dicunt *non posse* tripliciter accipi. Vel enim *potest esse, quod non est, vel potest agere, quod non agit, vel potest pati, quod non patitur*: Et ita oriri secundum triplicem distinctionem illam, *triplicem*

D

quod

Posse *similiter*

1.  
2.  
3.



quoque potentiam Objectivam, scilicet, Activam & Passivam.  
De primâita differunt: Res antequam existunt, sunt possi-  
biles, non solum per potentiam suorum agentium, suorum-  
què patientium: sed etiam per potentiam, quam ipse ex se  
habent, ut esse in rerum natura possint: à qua credunt eas prius  
esse possibles, quàm effectivam sui causam vel passivam re-  
spiciant. Non enim ideo putant res esse possibles, qui effici pos-  
sunt, sed ideo effectibiles esse, quia possibles. Cum autem ejus-  
modi potentia non possit esse præter res ipsas, antequam ex-  
istant, ideo dicunt rem ipsam, quæ nondum est, esse poten-  
tiam objectivam, in quam efficiens agit tanquam in suum  
objectum, adeo quæ existimant, rem, antequam sit, non solum  
esse in potentia suarum causarum, sed etiam in potentia sui  
ipsius. Breviter. Nihil est aliud, quàm potentia rei obje-  
ctivæ. De hac potentia quid sentiendum sit, prolixè dispu-  
tant Aquarius, Zab. Fonseca, Favellus & alii Metaphysici.  
Nos breviter dicimus, quod ista neque propriè sit potentia, neque  
sit distincta potentia ab Activa & Passiva. Quod si enim Ens  
nondum est, quomodo in se poterit habere potentiam ali-  
quam? Certum enim illud est veri proverbium: *Non-Entis  
nulle sunt affectiones.* Lubenter etiam scirem, undè nam il-  
la potentia ad esse proprium rebus obtingeret. Si dicunt,  
*res ex sese habere illam potentiam,* jam absurdum sequetur,  
nempè aliquid, quod nondum est, sibi ipsi dare aut communica-  
re potentiam: Si verò aliundè; mox & Ens erit, & ita non  
erit potentia objectiva, sed subjectiva. Neque verò est, quod  
illam potentiam ponant in rebus, ita nunc per creationem pro-  
ductis. Ita enim velint sumptam potentiam, non erit ista  
propriè objectiva potentia; sed respectu producentis erit acti-  
va, & respectu materia erit passiva. Quod si utrumque velint  
subterfugere. Statuendum ipsis erit, esse quandam potentiam,  
quæ sit sine subjecto. Id quod pugnat cum toto Collegio Phi-  
losophico. Ergò objectiva ista potentia erit pro figmento  
rationis.

II. An



*An detur Actus quidam Entitativus?*

*Thomista* vehementer impugnant *actum Entitativum*, adeò ut *ab Aquario* dicatur *chimericum figmentum*, sed acriter è contra disputant *Scotista*, approbando illum *actum Entitativum*. Et rectè. Omnino enim, *Ens* quando *extra suas causas* consideratur, *actum aliquem* obtinere deprehenditur, qui *Entitativus* appellatur, quod ipsam entitatem ponat extra nihilum. Sic *materia prima* cum *Ens* actu sit, necessum est, ut *actum aliquem* habeat. Is autem cum non sit formalis, nec alius, *dicitur Entitativus*. Ut verò facilius intelligas, cur illa entitas extra nihilum posita dicatur *actus*, observabis ex *Ægid. Rom.* vocabulum *actus* accipi latè & strictè. *Latè* notat *positivam entitatem cujuslibet essentia*: *Strictè* autem *sumitur pro actu formali, qui materia ex se non competit*.

Ibi non opposita potentia est; hic autem opponitur potentia, ea scilicet, quæ per formam perfici potest.

*Actus sumit*

1. *latè*

2. *strictè*







Ad Dn. Respondentem.

**A**onidum viridi resonant sub monte cohortes,  
Quid? Decus exurgit Philosophia tibi:  
Ergo grateris tali super astra clienti,  
Ætate aſt juveni, judicioq; ſeni,  
Summam ob virtutem cui turba coronidis alnum,  
Pertexit ſertum doctæ tropæa refert:  
Imberbis quando barba redimetur Apollo,  
Tunc forſan majus Phœbus habebit opus.

PAULUS HELMREICH, SS. Theol. D.  
quondam Illuſtriſſimo Salisburgenſi à ſacris  
conſiliis & concionibus, Abbatia Monſeë  
in Austria poſtulatus inveſtitus Coadjutor,  
nunc autem ad Auguſtanam confeſſionem  
ſacram converſus.



**O**mibi ſint centum lingua, ſint oraq; centum,  
Ad SOPHIÆ laudes haut reor eſſe ſatis.  
Hæc norma in ſtudiis, mentis noſtræ eſt ea DUX, LUX,  
DUX ad virtutem eſt LUX in honore nitens.  
Quam cum ſectaris, laudandus amice JACOBE,  
Hæc DUCE non erras, nec ſine LUCE manes.

amicitiæ ergò

apponebat

CASPARUS JURIKIUS,  
Strasburgò March.

F I N I S.



AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle  
003 357 104


3











Farbkarte #13

B.I.G.



10

ONUM

CARUM

A

U

TIA,

nuente

10

SCHARFII

konis,

n Academia

let

ILBERTUS

is matutinis,

re.

G. Æ

IANI THAM,

r.

III.

